Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancta Anastasia

urn:nbn:de:bsz:31-66161

invitarentur, et aliud sacramentum quo peccati nostri vinculum solveretur, et summum medicamentum quo tumor nostre superbie curaretur. Hec Augustinus. Superbia enim primi hominis sanata est per humilitatem Christi. Et nota quam convenienter humilitas salvatoris respondeat superbie proditoris. Superbia enim primi hominis fuit contra deum, usque ad deum et supra deum. Fuit contra deum, quia erat contra eius preceptum quod preceperat ne de ligno scientie boni et mali comederent. Fuit usque ad deum, quia usque ad appetitum divinitatis ascendit, quia credebat quod dyabolus dixerat: Eritis sicut dii. Fuit supra deum, sicut dicit Anshelmus, volendo quod deus nollet velle volebat. Tunc enim voluntatem suam supra dei voluntatem posuit. At filius dei, ut dicit Johannes Damascenus, humiliavit se pro hominibus, non contra homines, quia propter eorum utilitatem et salutem, usque ad homines per nascendi modum dissimilem. Nam eius nativitas et ad nos similis fuit et consimilis. Similis fuit et dissimilis, quia de spiritu sancto et ex Maria virgine natus est. De nomine.

Anastasia dicitur ab ana quod est sursum et stasis quod est status sive statio, quia sursum stetit a viciis ad virtutes. De sancta Anastasia.

Anastasia nobilis romanorum filia Pretextati illustris sed pagani, a matre sua Fausta christiana a beato Crisogono fide christiana edocta est. Tradita autem Publio in uxorem languorem simulans se ab eius consortio abstinebat. Qui audiens quod cum una tantum ancilla in vili habitu christianorum carceres circuiret et eis necessaria ministraret, fecit eam artissime custodiri, ita ut etiam annona denegaretur. Volebat enim sic perimere ut possessionibus eius latissimis posset lascivire. Putans igitur se mori dolorosas litteras Crisogono mittebat et ille consolatorias remittebat. Interea vir eius moritur et illa dimittitur. Habebat tres ancillas pulcherrimas que sorores erant, quarum una dicebatur Agape, altera Chyonia, tertia Yrene. Que cum christiane essent et prefecti monitis nullatenus obedirent, in cubiculum eas reclusit ubi coquine utensilia servabantur. Prefectus autem ardens amore ad eas ivit ut sua libidine expleret. Qui tamen amentia versus putans se tenere virgines, caccabos, patellas, caldaria et similia amplexatus osculabatur. Et cum exinde satiatus fuisset, foras exiit nigerrimus et deformis. Quem sui qui eum pre foribus exspectabant sic deformatum videntes putaverunt quod in demonium versus esset, et verberibus afficiunt et fugientes solum relinquunt. Qui cum ad imperatorem iret ut de hoc conquereretur, alii virgis eum percutiebant, alii in eius faciem exspuebant, alii luto et pulvere eum perciebant suspicantes quod in furiam versus esset. Oculi autem eius tenebantur ne sic se deformem videret. Qui cum miraretur plurimum cur sic eum omnes deriderent, quoniam in tanto honore haberi consueverat, videbatur enim ei quod ipse et omnes albis vestibus essent induti. Putans vero quod se deformem ab aliis deridentibus quod puelle sue partem magicam haberent, iussit eas coram se expoliari ut saltem eas nudas aspiceret. Sed statim vestimenta sic earum corporibus adheserunt ut nullatenus exui valerent. Prefectus autem ad admirationem ita obdormivit ster-

tantum quod a pulsantibus non poterat excitari. Tandem ingueus martirio coronatur Chrisogonus et Anastasia ab imperatore comiti Publio traditur ut si eam sacrificare faceret ipsam postmodum in uxorem haberet. Cumque eam in thalamum induxisset et eam amplecti vellet statim cecus effectus est. Ad idola vadit querens si curari posset. Respondentibus dyabolis: quia sanctam Anastasiam contristasti nobis traditus es ut tecum in inferno torquearis. Cumque domum reduceretur inter manus puerorum vitam finivit. Tunc Anastasia alii prefecto traditur ut eam in custodia detineret. Audiens autem quod infinitas possideret opes privatim dixit: Anastasia si vis esse christiana fac quod precepit dominus tuus. Ille enim precepit: qui non renuntiaverit omnibus que possidet etc. Omnia ergo que habes mihi da et vade quo volueris et vera christiana eris. Cui illa: Dominus meus precepit: vade vende omnia que habes et da pauperibus et non divitibus. Cum ergo divitibus dem contra preceptum dei facerem. Sicque traditur. Tunc Anastasia dyro carcere fame cruciandi traditur. Sed sancta Theodora que iam per martirium coronata fuerat per duos menses esca celesti pascebat. Tandem cum ducentis virginibus ad insulas palmarias ducitur ubi multi pro nomine domini relegati erant. Post aliquos dies prefectus omnes ad se vocavit et Anastasiam ad palos ligatam ignibus cremavit, alios diversis suppliciis interemit. Erant inter quos vir erat qui pluries propter Christum multis divitiis spoliatus semper dicebat: Christum solum mihi non auferetis. Apollonia corpus sancte Anastasie in viridario suo fecit ibi ecclesiam et honorifice sepelivit. Passa est autem circa annos domini CCLXXX.

De sancto Stephano

Stephanus grece, latine dicitur corona, hebraice norma. Fuit enim corona id est principium martirum in novo testamento sicut Abel in veteri testamento. Fuit et norma id est exemplar et regula patiendi pro Christo vel Stephanus quasi strenue fans ut patet in suo sermone vel Stephanus id est strenue cum laudabilitate fans vel instruens et regens anus id est viduas quibus ab apostolis fuit prefectus quod ad litteram nuncupatur. Est ergo corona propter principium martirii, norma propter exemplum patiendi et bene vivendi, strenue fans propter insolubilem predicationem, strenue fans anus propter viduarum laudabilem instructionem. De nomine

Stephanus fuit unus de septem dyaconibus ab apostolis in ministerium ordinatis. Crescente enim numero discipulorum ceperunt conversi ex gentibus adversus conversos ex Iudeis murmurare eo quod vidue eorum in cotidiano ministerio despicerentur. Huius autem murmuris causa duplex ponitur: aut quia vidue eorum in ministerio non admittebantur aut quia pre ceteris in cotidiano ministerio gravabantur. Apostoli autem ut expedita predicationi insisterent ministerium viduarum aliis commiserunt. Videntes itaque apostoli murmurationem ortam propter ministerium viduarum volentes hanc murmurationem sedare congregata omni multitudine dixerunt: Non est equum nos derelinquere verbum dei et ministrare mensis. Glossa: quia meliora sunt fercula mentis quam dapes corporis. Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonii septem plenos spiritu sancto et sapientia quos constituamus super hoc opus. Glossa: ut ministrent vel ut ministrantibus presint. Nos vero orationi et predicationi instantes erimus. Et placuit sermo coram omni multitudine et elegerunt septem quorum beatus Stephanus primus et precipuus extitit et adduxerunt eos ante apostolos et imposuerunt super eos manus.

Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat signa et prodigia
magna in populo. Invidentes igitur Iudei et eum super-
are cupientes triplici eum conflictu
aggressi sunt scilicet disputatorum, testium falsorum et tor-
torum et tormentorum illatorum. Sed tamen ipse dispu-
tatores superavit, testes falsos convicit et de
suis tortoribus triumphavit, et in qualibet pugna
sibi de celo adiutorium datum est. In primo datus
est spiritus sanctus qui sapientiam ministravit, in secun-
do vultus angelicus qui falsos testes terruit, et in
tertio visus est Christus adiuvare paratus qui mar-
tyrem confortaret. In unoquoque igitur conflictu pugna
ponuntur tria scilicet aggressio pugne, collatum adiu-
torium, adeptum triumphum. Hystoriam igitur bre-
viter percurrentes hec omnia videre poterimus. Cum igitur beatus
Stephanus multa signa faceret et frequentius populo
predicaret, invidi primum pugnam cum eo inierunt
ut eum per disputationem convincerent. Surrexerunt
enim quidam de synagoga que appellabatur Libertinorum a
regione sic dicta, vel Libertinorum id est filiorum li-
bertorum. Libertini enim dicuntur filii libertorum, id est
eorum qui de servitute manumissi sunt, et hi de
stirpe fuisse creduntur qui primi restiterunt, et Cy-
renensium et Cyrene natione et Alexandrinorum et
eorum qui erant a Cilicia et Asia disputantes cum Stephano.
Ecce primum bellum. Deinde subiungit triumphum:
Et non poterant resistere sapientie. Sequitur postremo ponit ad-
iutorium: et spiritui qui loquebatur. Videntes autem quod per
hunc modum pugnandi eum non possent supera-
re, ad secundum modum callide se convertunt, ut
scilicet eum falsis testibus superarent. Submiserunt
enim falsos testes duos qui eum de quadruplici
blasphemia accusarent. Adducentes itaque
eum in concilium, falsi testes eum de quatuor
accusabant scilicet de blasphemia in deum, in Moysen,
in legem et tabernaculum sive templum. Ecce secundum pu-
gna. Et intuentes eum omnes qui erant in concilio vi-
derunt faciem eius tamquam faciem angeli. Ecce au-
xilium. Deinde ponitur hic secunde pugne vic-
toria cum falsi testes de his omnibus convincuntur. Dixit
enim princeps sacerdotum: Si hec ita se habent? Tunc
beatus Stephanus de his quatuor que sibi testes im-
posuerant per ordinem se excusavit. Primo
se excusat de blasphemia in deum dicens:
Deus qui locutus fuit patribus prophetis deum glorie
fuisse. Ubi deum ipse commendat secundum quod hic ubi
ipse potest exponi. Est enim deus glorie id est dans gloriam, ut
cuique honorificaverit me glorificabo eum. Vel deus
glorie, id est continens gloriam, prout in vii. Canticorum: Sed de
nigra et gloria. Vel deus glorie id est cui debetur
debita gloria, secundum illud Timotheum I: Regi seculorum etc. Com-
mendat igitur deum triplex scilicet quod sit gloriosus, glorificans
et glorificandus. Deinde excusat se de se
blasphemia in Moysen, ipsum Moysen multi-
pliciter commendando. Commendat enim eum
in tribus scilicet a fervore zeli quia percussum
enim Egyptium interfecit, a miraculorum operatione
que in Egypto et in deserto fecit, et a dei fami-
liaritate quia pluries cum deo familiariter lo-
cutus fuit. Postmodum se excusat de
tertia blasphemia quam erat in legem, ipsam tri-
pliciter commendans, scilicet ex ratione datoris quia fuit deus,
Moyses talis et tantus et ex fine quia
dat vitam eternam. Postremo cepit se pur-
gare de iiii. blasphemia que erat in tabe-
naculum et templum quadrupliciter commen-
do, scilicet quia fuit a deo in precepto iussione ostensum
sive a Moyse consummatum et archam testimo-
nii continens. Templum autem dixit tabula-
culo successisse. Sic igitur beatus Stephanus de crimine
sibi obiecto rationabiliter se purgavit. Videntes
vero igitur Iudei quia in isto secundo modo eum superare
valent tertium modum assumunt, et tertiam pug-
nam ineunt ut scilicet saltem tormentis et sup-
pliciis superarent. Sed ut vidit beatus Stephanus
volens preceptum domini de dilectione inimicorum ob-
servare tribus modis conatus est eos corri-
gere et a tanta malitia cohibere scilicet pudore,
timore et amore. Primo pudore eos duri-
tia cordis scilicet notans, inquiens: Dura

incircumcisi cordibus et auribus
vos semper spiritui sancto restitistis sicut et patres
vestri et vos. Quem non prophetarum persecuti sunt patres
vestri? occiderunt eos qui prenuntiabant de
adventu iusti. Et sicut dicit glossa gradus
malicie eorum posuit: primus est quod spiritui sancto
restiterunt. Secundus quod prophetas eorum persecuti
sunt. Tertius quod crescente malicia eos occi
derunt. Sed frontem quasi frontem mulieris meretricis
facta erat eis et nesciebant erubescere
nec a malicia destiterunt. Iudei autem audien
tes hec dissecabantur cordibus suis et stri
debant dentibus in eum. ¶ Postmodum autem
conterere eos timore per hoc scilicet quod Iesum stan
tem a dextris dei videre perhibuit quasi
paratum se adiuvare et adversarios con
dempnare. Cum igitur Stephanus esset plenus spiritu
sancto intendens in celum vidit gloriam dei et ait:
Ecce video celos apertos et Iesum stantem a dextris
virtutis dei. Licet eos iam pudore convicerit non tamen
adhuc destiterunt sed deteriores quam prius
sunt. Exclamantes autem voce magna
continuerunt aures suas. Glossa: ne
blasphemantem audirent et impetum fe
cerunt unanimiter in eum et eicientes eum extra
civitatem lapidabant. Iuxta enim legem se facere
arbitrantes que blasphemum extra castra
mandavit lapidari. Et illi duo testes
qui eum primi lapidem mittere debebant
secundum legem dicentem: Primum manus testium lapi
dabit eum. Deponunt vestimenta sua
ne illius tactu contaminarentur vel ut lapi
dandum expeditiores redderentur secus
pedes adolescentis qui vocabatur Saulus
qui postea vocatus est Paulus. Qui dum
vestimenta lapidantium custodiret et
eos ad lapidandum expeditiores
reddebat quasi manibus omnium lapidavit.
Cum autem eos nec pudore nec timore ita
posset revocare tertium modum ad

hibuit ut saltem amore eos coherceat.
Amoris eximii amor fuit quod eis ostendit
quando pro eis et pro se oravit. Pro se oravit
ne sua passio prolongaretur et sic ipsis in
noxam maiorem verteretur. Pro ipsis autem
oravit ne hoc eis in peccatum imputaretur. Lapi
dabant igitur Stephanum invocantem et dicentem:
Domine Iesu suscipe spiritum meum. Positis autem
genibus clamavit voce magna dicens: Domine ne statu
as illis hoc peccatum. Et vide amorem mirabilem
quod orando pro se stetit, orando pro suis la
pidatoribus genua flexit quasi plus
orationem quam pro ipsis faciebat quam illam quam
pro se effundebat cuperet exaudiri. ¶
Pro ipsis enim plus quam pro se genua flexit quia
ut dicit glossa ibidem quia maior iniquitas
maius supplicandi remedium postula
bat. In hoc martyr Christum imitatur
qui in passione sua pro se oravit dicens:
Pater in manus tuas etc. et pro suis crucifixo
ribus dicens: Pater ignosce illis etc. Et cum hoc
dixisset obdormivit in domino. Glossa: Pulchre dicitur
obdormivit et non mortuus est quia obtu
lit sacrificium dilectionis et obdormivit
in spe resurrectionis. ¶ Facta est autem lapi
datio Stephani eodem anno quo dominus ascendit
in principio mensis augusti tertia die intrante.
Sanctus vero Gamaliel et Nichodemus qui
erant pro christianis in omnibus consiliis iudeorum
sepelierunt eum in agro ipsius Gamalielis
et fecerunt planctum magnum super eum.
Et facta est magna persecutio christianis
qui erant in Ierusalem quia occiso beato Stephano
uno de principibus alios persequi
ceperunt ita quod omnes preter apostolos
qui erant ceteris fortiores per totam iudee
provinciam sunt dispersi iuxta quod dominus prece
perat: si vos persecuti fuerint in una civi
tate fugite in aliam. ¶ Refert Augustinus
doctor egregius beatum Stephanum innumeris

miraculis claruisse et mortuos vi su-
is meritis suscitasse multosque a variis
languoribus curasse. Preter autem hec alia
refert miracula digne memorie. Qui-
dam enim ut ait quod flores super altare beati
Stephani ponebant et mirabiliter curabantur.
¶ Panni etiam de eius altari sumpti et super egros
positi multis extiterunt infirmitatibus
medela. Sicut enim ait in libro xxii de civi-
tate dei flores ipsi de altari sancti Stephani
super cecam mulierem ante oculos impositi sunt
et illa continuo lumen recepit. Refert etiam
in eodem libro quod cum quidam vir primarius civitatis
nomine Martialis infidelis esset et nequaquam conver-
ti vellet, cum tamen plurimum egrotaret gener
suus valde fidelis ad ecclesiam sancti Stephani
venit de ipsis floribus qui super altari e-
rant accipiens ad caput soceri flores ipsos
latenter posuit super quos dum ille dormisset pri-
mo ante diluculum clamavit ut ad
episcopum curreretur. Cum autem episcopus abesset sacer-
dos ad ipsum venit et ipsum cum se credere
diceret baptizavit. Hic quamdiu vixit
hoc verbum semper in ore habuit: Christe accipe spiritum
meum, cum tamen hec beati Stephani ultima verba
fuisse nesciret. ¶ Aliud simile in eodem
refert miraculum quod quedam matrona
nomine Petronia cum diu infirmitate gra-
vissima torqueretur et multa adhibens reme-
dia nullum sentiret liberationis remedium
tandem quendam iudeum consuluit qui anulum
quendam cum quodam lapide tribuit ut ipso a-
nulo cum corda ad nudum corpus cingeret
ut ex virtute illius lapidis beneficium re-
ciperet sanitatis. Sed dum hoc sibi nil vale-
re conspiceret ad ecclesiam prothomartiris properavit
et pro sua salute instanter beatum Stephanum
exoravit. Tunc subito soluta corda et
illesa nullo remanente anulus in terram
resiliit et continuo perfecte sanatam se

sensit. ¶ Aliud etiam ibidem non minus mira-
bile refert. Apud namque Cesaream Cappado-
cie quedam nobilis mulier viri quidem desti-
tuta solatio sed nobili vallata mul-
titudine filiorum. Nam x filios habuit
quorum vii mares et iii femine fuisse
perhibentur. Quadam autem vice dum mater
ab eis offenditur maledictionem suam filiis
imprecatur. Subito maledictionem matris di-
vina vindicta subsequitur et omnes pena si-
mili et horribili feriuntur. Ita omnes tre-
more membrorum omnium horribiliter percussi
quod pre nimio dolore et aliorum con-
fusione non ferentes per totum orbem vagari
ceperunt et quacumque ibant omnium in se ver-
tebant aspectum. Ex his autem duo fra-
ter et soror Paulus scilicet et Palladia Ypon-
am venerunt et ipsi Augustino ibidem
episcopo que sibi contingerent narraverunt. Cum igitur
ante xv dies ante pascha ecclesiam beati
Stephani frequentantes sanitatem ab
ipso martyre multis precibus postula-
rent in ipso die pasche cum frequens populus
presens esset unus ex eis scilicet Paulus re-
pente cancellum ingreditur et ante altare
cum multa fide et reverentia se coram
prostravit et cum astantes rei exitum ex-
pectarent subito surrexit sanus a tremore
corporis deinceps alienus. Cum igitur ad Au-
gustinum fuisset adductus ipse eum ad
populum protulit et sequenti die libellum
de narratione illius eius recitandum promi-
sit. Cum autem sic ad populum loqueretur et soror
ibidem omnibus membris tremens assiste-
ret surgens illa e medio beati Stephani
cancellos intravit et statim velud
obdormiens subito sana surrexit.
Ipsa similiter in medium producitur et deu-
triusque sanitate deo et beato Stephano im-
mense gratie referuntur. ¶ Orosius namque

asonimo ad augustinum rediret qui di
reliquias detulit sancti stephani ad quas pdea
& plurima alia miracula facta sunt. ¶ Ideo
quod beatus stephanus hac die passus non est sed
ea die ut dicitur qua eius inventio celebra
tur. Eius autem inventio hac die dicitur contigis
se. Sed quare festa mutata sunt dicetur
cum de inventione agetur. ad presens autem hoc
dixisse sufficiat quod duplici ratione
de causa hec festa que sequuntur nativi
tatem domini sic voluit ordinare. ¶ Prima
causa est ut christo sponso & capiti omnium sui
comites adiungeret de quibus comitibus di
in cant. Dilectus meus candidus & rubicun
dus electus ex millibus. Candidus quantum ad johannem
ewangelistam preclarissimum confessorem. Rubicun
dus quantum ad stephanum prothomartirem. Elec
tus ex millibus quantum ad turbam inno
centium virginalem. ¶ Secunda causa est ut sic eccle
sia omnium martirum genera quasi secundum dignitatis
simul adunaret que quidem martirum
causa nativitatis christi sunt. ¶ Est enim triplex mar
tirium. unum voluntate & opere. secundum vo
luntate & non opere. tertium opere sed non voluntate.
Primum fuit in beato stephano. Secundum in
beato johanne ew. Tertium in innocentibus.

De sancto iohanne ewangelista

Iohannes interpretatur dei gratia vel in quo est gratia vel cui donatum est
vel cui donatio a deo facta est. Per hoc intel
liguntur quatuor privilegia que fuerunt in beato
johanne. primum est precipua christi dilectio. Christus enim
plus ceteris apostolis ipsum dilexit & maiora
dilectionis & familiaritatis signa ostendit
& ideo dicitur domini gratia quia domino gratiosus. Et
plus petro ipsum dilexisse videtur. hec
est dilectio animi & signi. & illa que est sig
ni duplex vita que consistit in famili
aritatis dilectione & alia in beneficiorum ex
hibitione. quantum ad primum utrumque equaliter
dilexit. quantum ad secundum plus johannem. quantum ad se
cundum plus petrum. ¶ Secundum est carnis incor
ruptio quia virgo est a deo electus & ideo dicitur in
quo est gratia. in quo enim fuit gratia virginalis
vite & de nuptiis volens nubere a
domino vocatus fuit. ¶ Tertium est secre
torum revelatio & ideo dicitur cui donatum est. mul
ta secreta & profunda nosse. sicut de divi
nitate verbi & de consummatione secu
li. Quartum est virginis dei matris commendatio & inde
cui donatio facta est a deo. maxima a domino
tunc eidem donatio facta est quando mater dei
in eius custodia donata est. Cuius vitam mi
litus laodicensis episcopus scripsit quam ysidorus de
ortu vita & obitu sanctorum patrum abbre
viavit.

De nomine

Iohannes apostolus & ewangelista dilectus a domino
& virgo electus post pentecosten divisis
apostolis in asyam est profectus ubi ecclesias multas
fundavit. Domicianus autem imperator in
audiens eius famam accersitum in dolium
ferventis olei ante portam latinam mitti
iussit. Ille autem inde exiit illesus sicut
a corruptione carnis extiterat alienus. Vi
dens autem imperator quod nec sic a predicatione desis
teret eum in pathmos insulam in exilium re
legavit. ubi solus degens apocalipsim scripsit.
Eodem autem anno imperator propter nimiam
suam crudelitatem occiditur & a senatu cuncta
que fecerat irritantur. Sicque factum est ut sanctus
johannes qui cum iniuria in insulam deporta
tus fuerat cum honore ephesum remearet.
occurrit ei universa turba & dicit.
Benedictus qui venit in nomine domini. Cum autem ur
bem ingrederetur. Drusiana eius dilectrix
que sui plurimum desiderauit adventum
mortua efferebatur. ¶ Parentes igitur eius
vidue & orphani dixerunt ei. sancte
johannes ecce drusianam efferimus que tuis
semper monitis obsecundans nos omnes ale
bat tuum que plurimum desiderauit adven